


ATIONVM  
LXXXIV.

00  
A  
774



52 a.

DECANVS ET SENIOR  
COLLEGII MEDICI,  
RVDOLFVS GVILIEL-  
MVS CRAVSIVS,  
Phil. & Med. D. Pract. & Chim.

Prof. Publ.

h. t.

ACADEMIÆ RECTOR,

*Lectori Benevolo*

S. P. D.

---

JENÆ, LITERIS KREBSIANIS.



DEANVS ET SENIOR  
COLLEGI MEDICI  
RVDOLPHVS GVIILLI.

MVS GRAVVS  
Phil. & Med. D. Prag. & Chin.

ACADEMIE RECTOR

Lebter Senecolo

ANNO MDCCLXXII





**O**Mnes amore scientiæ natura ducimur: Cum verò eorum tantum detur scientia, quorum causa exponi potest; absque causis enim scientiam tradere, est operam ludere: at, non quævis causa scientiam absolvat, sed, quæ proxima est, quæ vera, immediata, & ex propriâ rei, de quâ agitur, naturâ fluit; id propter mirari non subit, quod, licet in impetrandâ rerum exactiori cognitione eruditorum omnes ac singuli, etiam inter hos, qui supra cæterorum eruditionem adscendisse videntur, omnes dies, omnes quoque noctes desudarint hætenus, imò toti in eo fuerint, ac finem vitæ posuerint, neutiquam tamen usquam quisquam omnigenam exactamque eam jactare possit.

Mos equidem hodie apud multos, sed pravus viget, ut, qui rerum, imprimis naturalium indagationi se dederunt, plerumque experimenta crepent, splendido experientiæ titulo omnia sua placita inaurant, & plausibilibus illis, imò incantamenti ad instar credula corda fascinantibus verbis; vidi, memini, observavi, expertus sum, sicque auctoritate, & simulata omnigenâ scientiâ omnibus veritatem quandam obtrudere audeant. Verùm enim verò, sicuti, ubi postea in veritatem assertorum inquisiveris, & singula probè, atque sine omni præjudicio examinaveris, evenit, ut pleraque, præ-

3.  
præter adumbratæ ostentationis plurimum, nihil præ-  
nè solidæ veritatis contineant; ita prostituunt hi tum  
fidem propriam, tum veritatem ipsam nimis temerè,  
& difficillima relinquitur rerum naturalium cognitio,  
scientia & experientia, quidquid etiam vaniloqui isti  
Thrasones dicant, nec, nisi frustra exactissimam rerum  
omnium scientiam quis sibi in his terris pollicebitur.

Est autem fundamentum hujus difficultatis & im-  
possibilitatis forsitan primarium, quod intellectus noster  
se habeat ad res suâ naturâ evidentissimas, veluti oculi  
vespertilionum ad lucem solis. Deinde, quod omnis  
veritas atque scientia, quæ intellectui tribuitur, suum de-  
beat ortum sensibus, utpote qui cognitionis nostræ  
fundamentum absolvunt, & fores sunt ad mentis tribu-  
nal.

Cum ergo ad rerum intimiorem cognitionem im-  
petrandam summè necessarium sit sensibus liberis esse  
instructum, quia foribus clausis, internos animi recessus  
penetrare rerum species nequeunt; fores autem illæ,  
vel potius viæ sensuum, judice Empedocle, perangustæ  
sunt, & sæpè scopulosæ; hinc patet, quàm difficile sit  
ad penetralia rerum naturalium liberè progredi, &  
quàm prænè impossibile sit, ea prorsus ingredi; quem-  
admodum etiam ex his pronò, quod dicunt, alveo  
fluit, sensibus dubijs ac minus certis existentibus, non  
posse non dubiam ipsam scientiam, incertam, adeoque  
nullam existere.

Quamquam enim in sensus proprios nimis injuri  
sint, qui sensus certitudinis laude omnimodè defraudare  
volunt, sed concedi debeat, species objecti sensibilis à  
facultate, hujus vel illius sensus organo inhabitante, ta-  
les

les, quales in veritate sunt, percipi posse, modò adsit organum rectè affectum, objectum idoneum, iusta objecti magnitudo, debita objecti mora, situs in objecto commodus, medium naturaliter se habens, distantia quoque & intervallum debitum, & similia; Ast, quoties, quæso, fieri potest, & solet, ut vel non omnia adsint jam enarrata ad sensum requisita, vel circumstantiæ quædam interveniant, vel in intuendo & contemplando non ea adhibeatur curatior diligentia, & patientia, quæ tamen necessariò requirebatur, ut adesset.

Præter hæc difficultatem rerum sensu cognoscendarum auget quoque, sensuumque testimonium dubium aliquo modo reddit & incertum materialium & objectorum sensibilibus varia & perpetua ferè mutabilitas & inconstantia, magna insuper agentium varietas, nimia hominum credulitas, persuasio, autoritas personarum, præconcepta opinio, & quæ plurima possent alia hujus sortis adduci obstacula.

Quoniam porrò sensus suum officium facit saltim cognoscendo singularia; *sensus enim, teste Aristotele, singularium est, scientia verò universalium*, atque hinc neque sensus, neque etiam experimenta ad exactam cognitionem rerum naturalium, & scientiam universalium constituendam sufficiant, quia experimenta quoque tantùm singularium sunt, cum adjunctâ saltim levi quadam *ῥαπιστάτων* sensu perceptorum in una eademque re iteratione; sed requiratur ad exactiorem scientiam & experientiam impetrandam, ut sensus, tanquam ministri, multa singularia, quæ tamen nec omnis fert tellus, nec dies, nec ætas, tanquam materiam conferant, ex quibus mens universalia fabricet,

) ( s ac

ac proinde non in levi quâdam perceptione sensus, nec in unâ aut alterâ memoriâ, sed sæpè sæpius factâ, & eodem modo fieri visâ & perceptâ observatione, & sic in *multis*, ut cum Aristotele loquar, *memoriis una numero experientia* fundari rectè dicatur: Hinc satis manifestè constat, quàm difficile sit experientiam veram, & exactam rerum naturalium cognitionem jure jactare posse.

Sed in hisce, quibus ansam suggestit locus, ex Platone in frontispicio Disputationis Inauguralis à Clarissimo nostro medicinæ Candidato,

DN. MICHAELE KAVLIZIO,

Medico Nordheimensi,

allegatus, subsistere, me cogunt impedimenta plurima, quibus munus rectorale stipatum est, quæque nobile tempus suffarantur. Properamus ergò ad ipsius laudati Candidati curriculum vitæ, more apud nos recepto, enarrandum.

Editus is est in hanc lucem Quedlinburgi, Anno M DC LXVII, die XV. Julii, patre MICHAELE KAVLIZIO, cive ibidem honesto, Chirurgo satis experienti, & felici, jam p. m. Matre MARGARETHA, nata MEINECKE.

Hi parentes ab ineunte statim ætate animum decenti pietate & literis, morumque integritate imbui ut curarent, hoc sine scholæ patriæ, & publicorum præceptorum curæ ac informationi ipsum commiserunt, sub quorum clarissimorum & doctissimorum virorum manu ductione fidelissimâ, imprimis M. SAMVELIS SCHMIDII, rectoris, & M. DANIELIS OTTONIS KEGELII, conrectoris, per plures annos in literis excoluit ingenium. Decimo quinto ætatis suæ  
anno



7  
anno Chirurgiæ quoque, jussu parentum, se dicavit,  
quam summo cum ardore excoluit, inque variis chi-  
rurgicis operationibus se exercuit, & sectioni cadaveris  
famini ab Excellentissimo D. SCHMIDIO, Medico  
Quedlinburgensi felicissimo, habitæ, spectator inter-  
fuit.

Jactis sic probè tum in literis, tum in chirurgiâ  
fundamentis, jussu & suasu venerandorum suorum præ-  
ceptorum anno M DC LXXXVIII. d. XXVI. April.  
inclutam hanc Salanam salutavit, & sine mora albo  
studiosorum academico inscriptus, tum ad philosophica,  
tum inprimis medica studia, quibus ob singularem  
propensionem applicare se decreverat, excolenda, o-  
mnem adhibuit operam, & in utrisque virorum excel-  
lentissimorum & celeberrimorum scholis publicis & pri-  
vatis indefesso studio usus est.

In philosophia tanquam vero medicinæ funda-  
mento, audivit JOH. ANDREAM SCHMIDIUM in scho-  
lis Logicis & Metaphysicis, CASPARUM POSNERUM in  
Physicis, interfuit quoque aliis collegiis mathematicis,  
physicis & philosophicis. In Medicis scholis omnes ac sin-  
gulos artis nostræ Professores Nobilissimos & excellen-  
tissimos sedulò sectatus est, sectioni quoque cadaveris  
famini interfuit.


Peracto sic trienni & ultra spatio, suasu præceptoris  
sui æstumatissimi D. WEDELI Lipsiam abiit, ibique  
ut studiorum cursum continuaret, Nobilissimorum & Ex-  
cellentissimorum medicinæ professorum omnium  
scholis sedulus interfuit, & ultra semestre Laboratorio  
D. BOHNII præfuit, D. RIVINI quoque Lectiones physio-  
logicas, & botanicas omni studio frequentavit. Cum  
verò ob febrim quartanam, quâ correptus, domum re-  
verti, ibique per aliquod tempus subsistere cogeretur,  
tan-


8.  
 tandem restitutus, regente & dirigente altissimo duce,  
 DEO, Nordhemiam concessit, ibique per biennium pra-  
 xim, DEI adjutus ope, feliciter & cum magna laude exer-  
 cuit.

Cum itaque nuper ad capeffendos modestè honores  
 in arte summos ad nos rediisset, admissus à facultate, lau-  
 dables profectus in tentamine & consuetis examini-  
 bus abundè probavit. Hinc aditu ad cathedram publicam  
 concessio, sub meo, si DEVS, in quem spero, vires con-  
 cesserit, præsidio, d. XXVII. Augusti disputationem pro  
 Licentiâ de FEBRI QUARTANA habebit.

Quam Panegyrim ut Venerandi academiæ nostræ  
 Procères, patres, & hospites omnium ordinum honora-  
 tissimi præsentia suâ benevolâ cohonestare dignentur,  
 nomine Collegii nostri officiosè & amice rogo, atque  
 contendo. P. P. Jenæ sub sigillo facultatis Anno  
 M DC XCIV. d. XXVI. Augusti.







00 A 6374

ULB Halle

3

002 929 228



80

1017







52 a

DECANVS ET SENIOR  
COLLEGII MEDICI,  
RVDO LFVS GVILIEL.  
MVS CRAVSIVS,  
Phil. & Med. D. Pract. & Chim.

Prof. Publ.

h. t.

ACADEMIÆ RECTOR,

*Lectori Benevolò*

S. P. D.

---

GENÆ, LITERIS KREBSIANIS.

